diebus in Castello, & omnia Catholicorum scripta quasi venaticus canis perscrutans; si fortè quid inveniretur, quod falsis conceptibus suis applicare posset: Cantilenas inprimis à Petro Exken compositas devorare non poterat; quare posterâ die evocatur carnifex Clivensis, rursum torquetur Hasenbergh, sed nihil confitetur, nisi prædictas cantilenas à PetroExken compositas esse, de reliquis calumniis se nihil scire.

CAPUT XII.

Adventus Lamberti Charles describitur, quem accedit temporalis Consul pro captivis intercedens.

COmparet ergò Gubernator Lambertus Charles, Neomagi & totius districtûs Clivensis patriæ ab hâc parte Rheni Gubernator, ut hunc actum præsentiâ suâ ad optatum finem deduceret. Hoc advertentes Matronæ Gochenses Consulem pro tempore regentem Petrum van Hegenraeth justum, quamvis Reformatæ Religionis, virum accedunt, qui de conceptâ falsariorum calumniâ prorsus nihil sciebat; rogant ergò Consulem, quatenus ratione sui officii cum optimis Civitatis Civibus pro liberatione Innocentium Gubernatorem invisere, & pro eorundem liberatione intercedere non gravetur. Officium igitur boni Patris-Familias implens Gubernatorem adit, & sequentibus verbis interpellat: *Waerom hy op het seggen van eenen Wever, ende Lichtmisse alleen soo veel Mannen, ende degelycke Borgers ingetrocken hadde.* Inquit alter: *Wy staen op den Wever alleen niet, hebben al andere inditien.* Hisce indigitans falsam Epistolam, sicut etiam reliqui militaris Tribunalis

nalis Officiales à conjuratis iſtis malè informati reſpondebant de copiâ literarum traditâ ; Qui omnia ſcripta in pejorem partem interpretabantur, ſicut & fecerunt cum literis Domini Voeſt Patri ſuo exaratis, ſicut expoſt in vera Textoris confeſſione manifeſtum fiet, dum enim Textor enorme crimen ſuum fateretur, ulteriora indicia non apparuerunt. Quamvis hæc omnia à captivis Catholicis bonis rationibus propoſitis irritarentur, firmaverunt ſibi ſermonem nequam pertinaces in effuſione ſanguinis immeriti.

Ulteriùs progrediamur. Leonardus Roeloffs è domo Paſtorali rapitur, cui eadem crimina objiciuntur, his additis circumſtantiis : Pro ſexaginta viris tu in ædibus tuis habes & conſervas arma. Falſum eſt, ait Roeloffs, ite & perſpicite hoſpitium meum, ſi tale quid armorum reperire poſſitis, & poſt aliqua verba defenſiva honoris rurſum inauditus ad locum unde deducitur. Apparet milite præſidiario cinctus Reverendus Dominus Presbyter Cornelius, cui idem fictus apparatus ob oculos ponitur, hoc addentes, propriam dexteræ ſubſcriptionem in manibus eorum de facto detineri. Dixit Presbyter : anima mea, & ſalus mea æternæ damnationi ſit obnoxia, ſi mihi idipſum demonſtraveritis. His auditis prodit in medium venerabilis iſtius Judicii bonus aſſecla Textor, referens Dominum Presbyterum non adfuiſſe in ſubſignatione Supplicæ. Tum quidam ex Tribunali illudentes hæc proferebant : *Gy hebt Jeſuyters Streek over U, gy maeckt de Luyden wyſs, dat ſy int Martelaers Boeck ſullen koomen.* Replicat Presbyter Cornelius : Oſtendite mihi propriam manûs ſubſcriptionem, quam vos habere affirmatis. Textor dicit, detinuit ſe in cubili. Inquirit Presbyter, in

quonam ergo cubiculo latitavi? dum verò Textor occasionem loci istius prorsus nesciret, verba abrumpit Gubernator, dicens: *Wat hy sulckx behoefde te vraegen, sy wisten well, dat het waer was, dat hy het onderteekent had.* Invehitur in Cornelium Textor: *Ick ben toch in uwen Hoffgewest. daer een groot gatt in de muer is, ende oock ob den Kerckhoff, daer Koninglicke Soldaeten souden door syn gekoomen.* O mendacia! respondet Cornelius: ocularem inspectionem desuper sumite, & attendite Domum Pastoralem quidem proximè muro adjacere, sed in tali loco, ubi Civitas Nirsâ duplici, & pratis cincta ab externo milite nequidem tentari, multò minùs occupari possit. Loco faciendæ inspectionis torturam minantur. Cui examini Gubernator hæc formalia jungit: *Wy sullen U wel anders leeren, indien gy het niet goetwillig bekennen wilt*; quibus verbis Dominus Cornelius plurimas fundamentales rationes apponit, inter cætera quærens: Quidnam ergo confessionis ab eodem intenderent. Gubernator nihil nisi ruinam bonorum civium, & proprium emolumentum sitiens respondet: *All swoert gy my dat toe, so gelooff ick U evenwel niet, want gy Papen kunt malkanderen geringh de absolution geven, gy maeckt de Luyden wys, dat sy int Martelaers Boeck sullen koomen.* Hæc Cornelius audiens, & advertens verbis nihil profici, faciem suam vertit versùs Textorem, cum Salvatore nostro dicens: Amice ad quid venisti? Tu ais Domum meam frequentasse, meâ vitâ cum notitia te non vidi. Respondet Textor sceleratissimus: *Ghy en hebt de Supplicatie oock niet onderteekent, maer ghy hebt well hooren seggen, dat sy gemaeckt is.*

Pro-

Provocat Presbyter de novo, ostendite mihi propriam manum, quam Gubernator se habere cum tanto plausu jactat. Hisce dictis Textori jubet, ut cubile deserat, iracundus totus dicit: *O gy Jesuyter! gy maeckt hem verbaest, wat loose streek hebt gy achter de ooren.* Hisce amaro animo prolatis exit, & post modicum revertitur jubens tortori ut ad torturam procedat. Protestatur Presbyter Cornelius justitiæ administrationem implorans. Cui quæso magis competebat tortura, quàm nigrâ notâ signato Petro Ceporino instructori depravati Textoris, qui nunquam ab examine dimissus, vel revocatus fuit, quin nigrum istum corvum prædæ inhiantem consilii causâ accesserit, ut exploraret, quidnam tribunali bellico respondendum esset, sicut à multis civibus, & ipsa Gubernatoris uxore & sorore plurimis vicibus observatum fuit. Attamen huic conatui Dominum Cornelium torquendi opponit se tribunal, inter alios præcipuè discreti animi Domini de Doenauw, & Capitaneus Viegh, qui paulatim advertentes sub cineribus malignum ignem latere, prorsus hoc permittere nolebant. Gubernator videns se illusum, & nihil ulterius proficere posse, inquit: *Wel Heer Cornelis soo willen wy het dan op u laeten staen tot morgen vroegh.* Replicat Dominus Cornelius: *Ick sall u niet ontloopen.* Cui respondet Gubernator, *Men sall u oock genoegh bewaeren, ende u wel doen bekennen.* His examinatis restabant adhuc Licentiatus Abels, Arnoldus Roeloffs, Theodorus ab Heucklum, Wilhelmus van Dreck, & Godefridus Francken, qui pro hac vice molestias istas Numine propitio, & fortè fragilitatem eorundem desuper spe-

ctante non sustinuerunt, attamen in captivitate constituti libertatem suam ad tempus amiserunt.

CAPUT XIII.

Dominus Consul Exken de novo examen subire cogitur.

PRincipalibus ut plurimum invidentes, & eos, qui maximè obstabant falsis calumniis, è numero vivorum tollere allaborantes producitur denuo in funestum hoc theatrum Consul Exken. Quintâ Martii igitur Congregationi militari grandævæ ætatis vir Consul Exken sistitur, in cujus conspectum producitur Textor manibus constrictis sub specie, quasi modò torturam sustinuisset. Tum Gubernator sermonem orditur his verbis: *Ick heb hem wel laeten overhaelen, tot dat hy de Waerheyt bekent heeft, ende daer by gebleven.* Quod tamen non contigerat sicut pòst ex Textoris vera confessione satis patuit. Quibus propositionibus hoc modo, quamvis idiomate belgico respondet: De rebus istis tantum mihi constat quantum de horâ obitûs mei, & si allegata probari possent, ut Dominus Deus sibi vitam quamprimum eriperet. Adjungit: Tribunum de Verdugho nunquam novi, literas tales non legi; verùm si idipsum probari possit, dignus sum, ut à quatuor equis in frusta discerpar. Pergit ulteriùs: neque mihi notum est, Sereniſſimum Neo-Principem nostrum in prandio apud Illustrissimum Dominum fuisse, nec in Abbatiâ Vallis comitis vulgò *Nieuwen-Clooster*, in quibus locis refractarii asserebant Principem toxico enecandum. Addebat insuper: à parte istâ, quam Textor monstraverat, civitatem occupari non posse.

Hisce